

poterat absque occisione, age poenitentiam: si autem comprehendi minime poterat, et tu interfecisti, te, et tua liberando; poenitentiae non astringeris nisi ad cautelam. Aliud caput nullum facessit negotium. Quippe ibi sermo non est de occisione, sed de expulsiōe usurpatoris citra occisionem. Quod adeo verum est, ut Pontifex decano Aurelianensi approbaverit usum armorum spiritualium adversus praepotentem invasorem. Ut quid autem confugisset decanus ad excommunicationem et interdictum, si licitam existimasset corporalem occisionem?

(107. Clemens XII constitutione, quae incipit: « In supremo justitiae solio, » approbavit, confirmavit, innovavit, et adversus quemcunque non usum, seu contrarium usum, qui quovis modo praetendi, et allegari potuisset, restituit, et plenarie reintegravit, et deinceps observari omnino, et inviolabiliter mandavit, omnes et singulas Constitutiones adversus homicidas saluberrime editas a Pio II, Paulo II, Sixto IV, Julio II, Leone X, Julio III, Pio IV, Pio V, Gregorio XIII, Sixto V, Gregorio XIV, Clemente VIII, Innocentio XI, Innocentio XII ac Benedicto XIII, et quibusvis aliis Romanis Pontificibus. Praeterea decrevit, ut deinceps privilegiatis, vulgo patentatis, in causis homicidii non suffragetur privilegium Fori, exceptis tamen « officialibus, aliisque privilegiatis a congregatione pro tempore existentium ejusdem sanctae romanae Ecclesiae cardinalium contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum, ac ministris actu inservientibus archiepiscopis, ordinariis, eorumque curiis, » quorum numerus, et qualitates Summo Pontifici praefiniendae reservantur. Item voluit, ut clerici tonsurati non beneficiati, pro duobus homicidiis, privilegio Fori et canonis priventur; et ut clerici in minoribus ordinibus constituti, et non beneficiati tam caelibes, quam conjugati, si praescripta a concilio Tridentino non servant, eodem privilegio priventur; sed ab ordinario declarandum esse constituit, utrum praescripta a concilio servaverint, « non retardata tamen rei assecuratione. » Rursus decrevit ecclesiasticos aequae ac laicos, Homicidii praemeditati reos non gaudere immunitate ecclesiastica; ecclesiasticos vero ab eorum iudice ecclesiastico iudicandos, et citra poenam sanguinis juxta sacros canones puniendos. Ulterius declaravit, Benedicti XIII constitutionem extendi quoque ad mandantes, adjuvantes, etc., atque ad natu minores viginti quinque, majores vero viginti annis, tam laicos quam clericos. Voluit tamen, ut illorum extractio a loco immuni, atque traditio curiae saeculari, quoad laicos, ad ejusdem curiae saecularis requisitionem, fiat a curia ecclesiastica, et quoad clericos, ab ipsa curia ecclesiastica ex officio omnino extrahantur. Extenditur quoque ad inquisitos et damnatos de homicidio in contumaciam, dummodo homicidium non fuerit casuale vel ad propriam defensionem.

Denique ordo praescribitur servandus in extrahendis reis a loco immuni. Si reus per

sententiam jam damnatus sit, vel sufficientia suppetant ad capturam indicia, dum delinquens sit clericus, iudex ecclesiasticus ex officio ac nomine etiam requirente, si vero sit laicus, postquam saeculari requisitus fuerit, ad ipsius delinquentis extractionem ab Ecclesia, seu loco immuni, implorato etiam si opus sit auxilio brachii saecularis, et cum interventu personae ecclesiasticae ab episcopo deputandae, devenire teneatur, extractumque ad suos, si tuti, et securi fuerint: si minus, ad curiae saecularis carceres asportari, ibique sub tuta custodia detineri curet, et faciat. Ubi vero ex processu informativo, quoad inquisitum nondum condemnatum, indicia acquisierit sufficientia tantum ad torturam, atque noverit ab extracto a loco immuni homicidium exceptum patratum fuisse, iudex ecclesiasticus declarare debet constare de casu excepto; et deinde extractum, si laicus sit, curiae saeculari, si autem clericus, ejus competentis iudici ecclesiastico tradere debeat, exactis tamen receptisque in actu traditionis, et consignationis hujusmodi a iudice saeculari juramento, ab ecclesiastico vero promissione in verbo veritatis de restituendo extractum et loco immuni sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatae, dummodo extractus in defensionibus praefata indicia elidat et diluat. At si repertiatur reus, a iudice suo, ut supra dictum est, puniri debet. Quoad damnatos vero in contumaciam ante extractionem, voluit, ut a iudice ecclesiastico examinaretur, num contumacialis sententia legitime et juste prolata fuerit, et num consignandus veniat, nec ne, et exactis ac receptis juramento et promissione ut supra, tradendum decernit, ea lege, ut si in defensione sceleris indicia diluerit, loco immuni restituatur sub poena ut supra; quin tamen lata per iudicem ecclesiasticum super immunitate sententia in alio iudicio robor habeat ullum. Haec constitutio a Clemente XII, pro ditione Romano Pontifici subjecta emanata a Benedicto XIV extensa fuit ad ditionem reipublicae Lucanae et in concordatis ad alias ditiones.

Quoniam vero ex praedictis constitutionibus nonnulla oriebantur dubia, Bened. XIV constit. quae incip. *Officii nostri*, de medio illa tollere voluit, ac primum circa personas declaravit, hujusmodi Constitutionibus comprehendendi omnes et singulos cujuscunque ordinis, congregationis, militiae, et instituti regulares, tam in ipsis expresse professos, quam illis quomodolibet ascriptos cujuscunque gradus, etc., item mulieres, ac etiam milites quin ullum militare privilegium suffragari ipsis possit, aut debeat. Deinde comprehendendi voluit Homicidium quodcunque, etiam baculo aut saxo commissum, ubi « ex delicti circumstantiis dignoscatur, illius actum, quamvis in rixa commissum, non casu, aut ex necessaria defensione, sed ex odio, et nocendi animo ac voluntate prodixisse. » Si vero percussus statim non moriatur, sed chirurgus ad inspiciendum vulneris accitus, grave vitae periculum adesse referat, decernitur, ut percussor e loco im-

muni ad quem confugerit, servatis servandis, extrahatur, et carceribus mancipetur, « hac tamen lege, ut Ecclesiae omnino restituatur, ubi is, qui vulneratus fuerit, ultra tempus a legibus constitutum superstes vivat, » et quidem sub poenis, quas supra recensuimus. Ut vero facilius per episcopos hujusmodi constitutiones executioni demandentur, praecipit omnibus episcopis, ut solliciti sint in iis exsequendis, quae adversus hujusmodi reos praestanda sunt, ac facultatem concedit, « ut, quoties in hujusmodi casibus pro parte curiae laicalis requisiti fuerint, vicariis suis foraneis, sive etiam aliis personis ecclesiasticis ad id per ipsos antistites deputandis, committere possint, ut indicia ad extractionem necessaria iudice colligant; ut, his nimirum inspectis, iidem antistites, prout juris erit, ad delinquentium hujusmodi extractionem quanto citius decernendam procedere valeant. »

RESPONSIO AUCTORIS.

(108. Advertendum est, quod omnes constitutiones pontificiae hic a theologo ad rem citatae, jam fuerant a me ad litteram adductae: nempe constitutio Bened. XIII incip. *Ex quo* in verb. *Immunitas*, art. 2, numer. 90; constitutio Clementis XII incipien. *In supremo justitiae solio* in supplementis ad verb. *Immunitas*; constit. Bened. XIV incipien. *Officii nostri*, in supplementis ad dict. verb. *Immunitas*; atque alia ejusdem Pontif. incipien. *Detestabilem*, in supplementis ad verb. *Propositiones damnatae* (in prioribus editionibus; in praesenti vero in supplementis ad verb. *Duellum*), e quibus abunde et clare potest prudens lector colligere omnia quae circa Homicidas et Homicidia sanctissime sancita sunt.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(109. Quanquam recte dicatur non licere marito uxorem in adulterio deprehensam occidere, tamen si quando subita comprehensus ira adulteram confodit, poena legis Corneliae propter justum dolorem remittitur, nec ultimo plectitur supplicio; placuit nihilominus, quia plus fecit quam facere debebat, dum leges privatam vindictam prohibent eum, si humilis loci sit in opus perpetuum tradi, sin honestior in insulam relegari. L. si Adulterium 38, § *imperator*. 8, ff. ad l. Jul., *De adult.*, adde tit. ad leg. Jul. *De adult.*, num. 13 et 14. Voet. ad Pand. ad l. Cornel. *de Sicar.* lib. XLVIII, tit. 8, § 9, in med. Quoad sane privilegium, extendendum non est ad eos, qui irarum aestu fluctuantes Adversarium prosternunt. Nam quanquam impetu, et proposito delinquere inter se differant l. *Perspiciendum* 11, § *Delinquitur* 2., ff. *de Poenis*, non tamen impetu delinquentes extra dolum sunt, siquidem in his neque iudicium, neque assensus animi, neque voluntas deest. Vide Seneca lib. II, *De ira* cap. 1. Questionem opportune movet Zoesius in Pand. lib. XLVIII, tit. ad leg. Cornel., num. 56; an adulter, qui causavit mortem adulterae deprehensae per maritum, Homicidio teneatur.

(110. Recte affirmativam sustinet Navarr. cap. 27, num. 239, dicens talem sententiam fuisse comprobata a Pio V, quanquam hanc opinionem non indistincte amplectitur Zoes. loc. cit.; sed tunc duntaxat quando adulter temere et incaute ad uxorem alienam accessit. Utrumque vide.

(111. Sed non semper causale et voluntarium est Homicidium. Interdum est accidentale, seu casuale, et involuntarium, illudque est, quod casu prorsus fortuito, nulla praecedente culpa contingit, impunitum plane est uti ex pluribus exemplis in. lit. de leg. Aquilia recensitis; nec male huc redixeris caedem, vel ab infante, vel a furioso patratam, quorum primum innocentia consilii tuetur, excusat alterum fati infelicitas, qua satis punitus videtur, l. *Infans* 12, ff. h. t. l. pen., § ult. ff. ad l. *Pompeii De parricid.*: hoc tamen intellige, dummodo furoris tempore, non dilucidi intervalli, caedes fuerit perpetrata. Confer. Carpzov. *Pract. crimin.*, quæst. 145.

(112. Ulterius extra poenam est, quicumque occidit lege permittente. Sic occidi impune potest fur nocturnus, cum sine periculo ei parcere non potuerit L. *Furem* 9, ff. h. t. junct. L. *Itaque* 4, § 1, ff. ad l. *Aquil. Transfuga*, L. *Ejusdem legis* 3, § ult. ff. h. t. perduellis. L. *Minime majoris* 35, ff. *de Religiosis*, etc., et caeteri quos vide apud Ant. Matthæum ad lib. XLVIII, tit. 8, ad l. *Corn. de Sicariis*.

(113. Nullam mereri poenam homicidio commissio videtur ebrius aequae ac furiosus; ebrietas enim aequae ac furor voluntatem aufert. Ad id facit can. *Sane* XV, qu. 1, can. *Inebriaverunt* 9, qu. 1. Idque asserendum videtur vel ex culpa, vel ex casu fuerit quis inebriatus; quidquid enim de hoc sit, supponitur commissum Homicidium in statu, quo omnis deest volendi, vel nolendi ratio sufficiens. Neque obstat, quod homicidii actus sit modo illicito causatus, ebrietas enim non est per se ad homicidium ordinata, sed solum tanquam causa remota concurrat. Fuse de his, et de noctambulis, et de illis, qui amoris aestu hominem interficiunt consule Zoes. loc. sup. cit. a n. 59 ad fin., sed de hoc etiam fusius infra.

(114. Quod dicitur nihil ex odio, nihil ex vindictae cupidine in sui defensione fieri posse, id adeo verum est, ut si quamvis tutus, tamen odio percitus et vindictae cupiditate flagrans, inimicum jam prostratum, jam a nocendo alienum vexes adhuc, et persequaris, injurius sis, eumque laedis. Vide quae de hoc casu habent, Gail. de Pace public. cap. 16; Voet. in Pandect. tit. ad leg. Cornel. *de Sicar.*, num. 26. Ad magis magisque confirmandam propositionem, quod impune quis possit aggressoris morte defendere, vel uxorem, vel cognatum, etc., vel etiam extraneum, opportune referenda sunt quae egregie scripsit Ant. Matthæus de Crimin. lib. XLVIII, tit. 5, cap. 2, num. 11 et 12: « Natura rerum inter omnes homines cognitionem instituit, cujus vi, et ad opitulandum oppressis accurrimus, et irascimur opprimenti. Quod

si, cum quo humanitas communis est, etiam civitas nos junxerit, jam duplici vinculo ad opem ferendam astringimur: nefas est, ut ait Seneca, nocere patriæ: ergo civi quoque, quoniam pars patriæ est; quod si nocere nefas, ergo opitulari fas est. Denique si quis cum prohibere crimen possit, non

HONESTAS PUBLICA.

Vide verb. IMPEDIMENTA MATRIMONII, art. 2, a n. 20 ad 27.

HONOR.

Vide verb. DETRACTIO, art. 1, n. 3 et 4.

HORÆ CANONICÆ.

Vide verb. OFFICIUM DIVINUM.

HORTATORIÆ.

SUMMARIUM.

Adducuntur Decreta sac. congregationis Immunitatis.

1. Litteræ Hortatoriæ regiæ nequeunt discerni, relaxari, nec exsequi a laicis nedum contra episcopos, sed nec contra ecclesiasticos; sac. cong. Immunit. in Gravinens. 10 Feb. 1632, lib. II Decr. Paul., p. 14 in Alexanen. 3 April. ejusdem anni, lib. II Decr. Paul., p. 120, in Cosentina 9 Octobris 1635, lib. II Decr. Paul., pag. 235.

2. Injungitur episcopo, ut respondeat cum libertate ecclesiastica ad litteras Hortatorias. Ead. sacra cong. Immunit. in Hieracen. 22 Sept. 1692, lib. II Decret. Vall., pag. 78.

3. Aliquando, ut non curet de Hortatoris regiis cum non sint de jure permissæ, et a sacris can. improbatæ. Ead. sac. cong. Immunit. in Nuscana 15 Febr. 1633, lib. II Decr. Paul., pag. 151, et in Avellina 22 Julii d. anni, et lib., pag. 164.

4. Aliquando ut se absteineat respondere dictis litteris. Ead. s. c. Immunit. Vicana 26 Julii 1644, lib. III Decr. Paul., p. 234, et in Boven. 3 Maii 1631, lib. IV Decr. Paul., pag. 146.

5. Aliquando, ut non pareat litteris ad audiendum verbum regium. Ead. sac. congregat. in Lancianen. 22 Novembris 1633, lib. II Decretal. Paul., p. 176.

6. Sic litteris Regiis de transmittenda nota clericorum archiepiscopus non pareat. Ead. s. c. Immunit. in Cosentina 17 Januarii 1634, lib. II Decret. Paul., pag. 181.

7. Pariter episcopi non debent attendere ad litteras regias, sed continuare in residentia suæ ecclesiæ. Eadem sac. congregat. in Bojanen. 2 Novembr. 1639, lib. III Decr. Paul. p. 104, et 27 Augusti 1641, ibi, pag. 154.

8. Contra auctores, et complices dictarum litterarum episcopus conficiat processum. Ead. s. cong. Immunit. in Aliphana 27 Febr. 1674, lib. I Decr. Altoviti, pag. 901.

9. Sac. cong. annullat factum vicarii abbatialis vigore litteræ Hortatoriæ regiæ tanquam invalidum, suspendit ipsum a divinis, ac inhabilitat ad dictum officium, et alia quæcunque, etiamsi profiteatur se hæc fecisse ex mera ignorantia. Ead. sac. cong.

prohibuit, prope ipse id admisisse videtur, utique a pœna immunis esse debet, » qui prohibuit, vid. Gomes Var. resolut. tom. III, c. 3, n. 21. Berlich. Conclus. pract. p. 4, conclus. 12, n. 44. Carpzov. pract. crimin., quæst. 32.

Immunit. in Nullius Cassianovæ 13 Decemb. 1533, lib. II Decr. Paul., pag. 179.

10. Vicarius capitularis Acheronticæ contra ordines sanctissimi et sac. cong. obediens litteris regiis de accedendo Neapolim, declaratur suspensus a divinis, privatur vicariatu, et inhabilitatur ad hujusmodi officia, et ei præcipitur, ne discedat ab urbe; et decretum præfatum notificatur tam nuntio quam capitulo per litteras, quæ ad futuram rei memoriam retineantur in actis nunciaturæ et curiæ ecclesiasticæ Acheronticæ, et si non justificaverit allatam legitimam excusationem, inhabilitandus est etiam ad beneficia. Ead. sac. cong. 5 et 13 Jul. 1633, lib. II Decr. Paul., pag. 160.

11. Vicarius bene agit non parendo litteris ad audiendum verbum regium. Eadem sac. congreg. Immunit. in Catacen. 21 Septembris 1633, lib. II Decr. Paul., pag. 171.

12. Idem respondeat litteris regiis se procedere auctoritate sua ordinaria ad defensionem immunitatis ecclesiasticæ sibi a s. cong. demandatam. Ead. sac. cong. Imm. in Bovinen. 26 Febr. 1638, lib. Decr. Rocci, pag. 63.

13. Idem ob inobedientiam et transgressionem mandatorum sanctissimi de non discedendo ab urbe Neapolis, et de non relinquendo exercitio sui vicariatus ex quacunque causa, etiam positus quibuscunque minis, et præceptis ministrorum laicorum in contrarium, de ordine sanctissimi a nuntio auctoritate sua ordinaria condemnatur in pœnam suspensionis ab exercitio ordinum, et inhabilitatis ad dignitates, beneficia et officia ecclesiastica cujusvis generis, quocunque loco, a quibuscunque, et quomocunque in posterum obtinenda sub pœna excommunicationis Summo Pontifici reservatæ, et quousque Sanctitati suæ placuerit. Ead. sac. cong. in Neapolitana 25 Maii, et 19 ac 30 Jun. 1660, lib. Dec. Rocci, pag. 257 et 259.

14. Scribitur nuntio Neapolis, ut statim per viam monitorii judicialis cogat episcopum Motulen. qui vocatus per litteras Hor-

tatorias regias ibi comparuit in quibusdam causis ecclesiasticis ante ministros regios, redire ad residentiam sub pœnis suspensionis, inhabilitatis, privationis ac aliis arbitrio, necnon mandat episcopo, ubi fabricatus fuit processus contra dictum episcopum per curiam sæcularem, ut ser. ser. procedat ad censuras, et pœnas canonicas contra omnes, qui hac in re quid gesserunt, necnon contra testes, qui se examinarunt. Insuper notificet ministris regiis, ut omnino se absteineant, et si paruerint, absolvat, sin minus, contra eos procedat ser. ser. remediis sac. can. et apostol. constitutionum, ac supradicta omnia registrare faciat una cum litteris sac. congreg. in actis tribunalis nunciaturæ, ut futuris temporibus appareat, S. sedem statim ac scientiam habuit horum omnium irritasse, ac impugnasse. Sac. cong.

HOSPITALE, HOSPITALARIUS.

SUMMARIUM.

1. Hospitale dicitur ab hospitibus, qui ibi gratis excipiuntur; ubi vero mercede soluta peregrini hospitantur, hospitium, vel diversorium appellatur. — 2. Hospitale est nomen generale pertinens ad omnem speciem hospitalitatis, cujuscunque generis illa fuerit. — 3. Unde quia variae sunt species hospitalitatis, adducuntur hic sub propriis nominibus, et significatis. — 4. Xenodochium est locus ubi pauperes peregrini gratis recipiuntur. — 5. Ptochotrophium est locus ubi pauperes et mendici aluntur. — 6. Brephotrophium est locus in quo infantes pauperum aluntur. — 7. Orphanotrophium est locus in quo pueri orphani pascuntur. — 8. Gerontocomium seu Gerotocomium est locus ubi senes et valetudinarii, et propter senectutem solam infirmi homines curantur. — 9. Nosocomium est locus ubi ægroti curantur. — 10. Nosocomii ministri, qui ad ægrotantium curam adhibentur, parabolani in jure vocantur. — 11. Goptrophonium dicitur locus, ubi feminae debilibus sustentatrices habitant. — 12. Leprosariae sunt loca seorsim ab aliis, in gratiam illorum, qui morbo lepræ laborant, segregata. — 13. Eleemosynariae sunt loca, et reditus ad eleemosynas faciendas deputati. — 14. Loca pia generali nomine hospitalia appellantur. — 15. Hospitalia quædam sunt Religiosa, seu Ecclesiastica, et quædam non Religiosa seu non Ecclesiastica, et quamam utraque sint? ad n. 16. — 17. Hospitale dicitur profanum, et privatum, quamvis in eo opera pietatis exerceantur. — 18. Differentia loci pii, et ecclesiastici assignatur. — 19. Hospitale fuisse erectum auctoritate episcopi colligitur ex pluribus quæ assignantur. — 20. Non existentibus dictis signis hospitale in dubio præsumitur laicale, et profanum, et non erectum auctoritate episcopi. — 21. Hospitalia auctoritate episcopi fundata, licet administrationem solum temporalem habeant, sunt materia simoniæ jure humano interdictæ. — 22. Hospitalia auctoritate episcopi fundata sine auctoritate ecclesiastica. — 23. Hospitalium vero apothecæ locatæ usui profano non gaudent immunitate. — 24. Hospitalia fundata sine auctoritate episcopi non sunt materia simoniæ. — 25. Nec talia hospitalia fundata sine auctoritate episcopi gaudent immunitate ecclesiastica. — 26. Hospitalia data in titulum vel administrationem si habeant beneficia annexa, vel reditus, aut proventus ecclesiasticos, tenentur ad seminarii contributionem. — 27. Hospitalia tamen quæ administrantur a laicis, et in quibus sunt bona laicorum, quæ data non sunt in titulum, non tenentur ad seminarii contributionem. — 28. Hospitale unius diœcesis habens beneficium annexum,

FERRAR. IV.

Imm. in Baren. 27 Jan. 1631, lib. II Decr. Paul., pag. 79.

Archiepiscopus Lancianen. procedere debet contra sacerdotem suæ diœcesis, sed domiciliarium civitatis Neapolis, ob litteras hortatorias obtentas, a magistratu laico ad præfatum archiepiscopum, ne deveniret ad collationem beneficii parochialis, sub prætextu, quod nominatio ejusdem spectaret ad quamdam ducissam, non obstante incompetencia curiæ archiepiscopalis Lancianen. a dicto sacerdote interposita, eo quia tanquam domiciliarius civitatis Neapolis esset subditus curiæ archiepiscopi Neapolitani, a qua super delicto sibi imputato jam obtinuerat absolutionem ex capite innocentiae. Ead. sac. congreg. Immunit. in Lancianen. 22 Februar. 1707, lib. Decr. Maraf.

quod est alterius diœcesis, tenetur contribuere seminario diœcesis in quantum est beneficium. — 29. Hospitalia auctoritate episcopi erecta, si in titulum perpetuum, aut per electionem conferantur, sunt beneficia ecclesiastica. — 30. Hospitalia sunt beneficia ecclesiastica etiam, ubi unita sunt ecclesiæ seu ecclesiastico beneficio, vel per viam electionis danda sunt in titulum. — 31. Regularium hospitalia licet auctoritate episcopi erigantur, non sunt beneficia, sed quædam officia religiosæ, et piæ administrationis. — 32. In hospitalibus, quæ non sunt annexa, seu subiecta monasteriis, aut conventibus, non sunt præficiendi religiosi tanquam rectores. — 33. Ordinarii locorum possunt visitare hospitalia. — 34. Et possunt exigere ab administrantibus rationes, et computa, tam in visitatione, quam extra, etiam per suum delegatum, non obstantibus quibuscunque privilegiis. — 35. Imo ordinarii possunt visitare hospitalia, et ab eorum administratoribus rationes et computa exigere, non obstante quod a testatore, et lege fundationis expresse excludantur. — 36. Ordinarii possunt exigere rationem administrationis ab hospitalibus, quæ sunt sub immediata regum protectione. — 37. Hospitalia autem quæ sunt sub immediata regum protectione, nequeunt ab ordinariis visitari. — 38. Hospitale aliquod visitare volenti si opponatur exceptio, quod sub immediata regum protectione existat, non ad sæcularem judicem, sed ad ipsum episcopum talis exceptionis cognitio, et definitio pertinet. — 39. Ad hoc tamen, ut dicta hospitalia sint immunita a visitatione ordinariorum, debent esse talia a primæva sua fundatione. Nec sufficit, si hospitalia accipiantur ex post a rege sub sui immediata protectione. — 40. Ordinarii visitare, corrigere, et reformare possunt hospitalia omnia, etiamsi privata sint laicorum, in casibus a jure concessis. — 41. Hospitalia privata possunt ordinarii visitare, corrigere et reformare in iis tantum, quæ ad observandam voluntatem testatorum pertinent. — 42. Hospitalia etiam unita, in quibus ecclesiæ sunt, et bona eorum non sunt distincta, debent ab ordinariis visitari. — 43. Hospitalia, quamvis debeant visitari ab episcopo, non inde tamen prohibetur, quia et iudices sæculares eadem visitare possint si hoc eis alias legitime competit. — 44. Hospitalia administrata a fratribus S. Joannis Dei non sunt exempta a jurisdictione ordinarii, nisi solum quoad regularem observantiam. — 45. Vicariæ perpetuæ parochialium unitarum, seu incorporatarum hospitalibus, et aliis ecclesiis, collegiis, vel locis piis, non conferuntur per concursum, sed solum ad nominationem representantium hospitalis, etc., cum solo examine facto ab ordinario de idoneitate vicarii curati, seu rectoris